

- 3. *Suspensus ab ordine, & beneficio voluntarie, & scienter violans suspensionem, præsertim celebrando, in perpetuum ab officio, & beneficio est deponendus.*
- 4. *Si suspensus à beneficio audeat se ingerere usurpando fructus ejusdem beneficii, graviter peccat, & tenetur ad restitutionem.*
- 5. *Et præter hoc omne restitutionis, & grave peccatum, usurpans hos fructus contrahit perpetuam privationem Beneficiorum.*
- 6. *Si quis suspensus ob vitium incontinentiæ, quo fuerit cognitus laborare, scienter ausus fuerit celebrare divina, est deponendus non solum ab officio, sed etiam à beneficio.*
- 7. *Suspensus à Minori Ordine non potest ad Majores ascendere, nisi prius absolvatur.*
- 8. *Suspensus ab ingressu ecclesie, si celebrat in ea, fit irregularis, & si moritur impenitens, durante suspensione, caret ecclesiastica sepultura.*
- 9. *Suspensus ab officio, ordine, & jurisdictione in uno loco, ubique est suspensus.*
- 10. *Ordines, & alii actus per suspensionem prohibiti, sunt validi, exceptis electionibus.*
- 11. *Et exceptis actibus jurisdictionis, & per hoc absolute suspensus invalide absolvit, nisi ob suspensionem occultam sit error communis, ob quem Ecclesia jurisdictionem supplet.*
- 12. *Suspensio à divinis tempore appellationis est nulla.*

Si suspensus aliquem actum, à quo est suspensus, exerceat, graviter peccat, si materia est gravis; & si durante suspensione actus Ordinis exerceat, ipso facto incurrit Irregularitatem, ut habetur in c. 1. de sent. & re judic. §. cap. 1. de sent. excomm. in 6.

Suspensus ab officio, & beneficio non potest eligere, & est incapax beneficii ecclesiastici, & provisio ei facta est nulla sicuti constat ex c. Cum dilectus, de consuetud. Cum enim beneficium detur propter officium non recte conferitur ei, qui officium præstare non potest, c. ultim. de Cleric. excomm. ministrant.

Suspensus ab ordine, & beneficio voluntarie, & scienter violans suspensionem, præsertim celebrando, in perpetuum ab officio, & beneficio est deponendus, ut colligitur ex c. Clerici, & c. Latores, de Cleric. excomm.

Si suspensus à beneficio audeat se ingerere usurpando fructus ejusdem beneficii, graviter peccat, & tenetur ad illorum restitutionem, cum hac distinctione, quod si sint fructus præbendæ, sunt restituendi ecclesie, vel pauperibus; si vero sint fructus quotidianarum distributionum ob assistentiam divinis officiis, sunt restituendi illis, qui adstiterunt divinis officiis, juxta textum in c. Si quis deinceps 17. q. 4. Et præter hoc onus restitutionis, & grave peccatum, usurpans hoc fructus contrahit perpetuam privationem beneficiorum; ex textu in c. 1. §. ult. & c. Cipientes, de elect.

Si quis suspensus ob vitium incontinentiæ, quo fuerit cognitus laborare, scienter ausus fuerit celebrare divina, est deponendus non solum ab officio, sed etiam à beneficio, ut expresse habetur in cap. ut Clericorum, verb. Si quis, de vita, & honestate Cler.

Suspensus à Minori Ordine non potest ad Majores ascendere, nisi prius absolvatur, quia suspensus ab Ordine inferiore censetur etiam suspensus à Superiore, non vice versa; nam cui non licet quod minus est, non debet licere quod est majus, arg. l. Legatorum §. ult. ff. de interdicit. ubi expresse habetur: "Est enim perquam vridiculum eum, qui Minoribus honoribus poenæ causa prohibitus est, ad Majores aspirare; Majoribus tamen prohibitus Minoribus petere non prohibetur." (Vid. verb. Hebræus, & Hæreticus, in nov.)

Suspensus ab ingressu Ecclesiæ, si celebrat in ea, fit irregularis, & si moritur impenitens durante suspensione, caret Ecclesiastica sepultura, cap. l. cui, de sentent. excomm. in 6.

Suspensus ab officio, ordine, & jurisdictione in uno loco, ubique est suspensus, ita ut nullibi possit exercere actus illius potestatis, à qua fuit suspensus, donec

absolvatur; quia censura afficit immediate personam, ideoque eam committit etiam extra territorium ferentis, uti notant Doctores cum glossa in cap. Pastoralis §. Verum, de appell.

Sciendum tamen est, quod Ordines, & alii actus per suspensionem prohibiti sunt validi, exceptis electionibus, cap. Cum dilectus, de consuetud. cap. Cum inter 16. de elect. Et exceptis actibus jurisdictionis, & per hoc absolute suspensus invalide absolvit: Absolutio enim à sic suspensio data est nulla, nisi ob suspensionem occultam sit error communis; ob quem Ecclesia jurisdictionem supplet, arg. cap. Infamis 1. caus. 2. q. 8. l. Barbarius 3. ff. de Off. Prator. Non sufficit error communis, sed requiritur etiam titulus coloratus, ut aliis diximus. Quamvis non parva sit controversia inter doctores, an sufficiat error communis sine titulo colorato, ut videre est in verb. Confessarius art. 1. n. 38. ad 42. inclusive; conclusio tamen mea apertissime indicat, adesse in Confessario absolute suspensio didum titulum coloratum cum expresse dicat: Absolutio enim à sic suspensio data, est nulla nisi ob suspensionem occultam sit error communis; ob quem Ecclesia jurisdictionem supplet. Cum enim hic Confessarius ante suspensionem occultam vere & realiter omnibus innotuerit, ut à legitimo Superiore titulo requisito ad actum absolutio nis munus se continue & publice exponens ad confessiones excipienda, & superveniens suspensio fuerit communitur occulta, certe sine alio expresse addito, ob hunc errorem communem Ecclesia supplet in hoc casu jurisdictionem. Frustra enim exprimitur, quod jam intelligitur, leg. Cornelius 69. ff. de hereditibus instituendis. Habetur etenim pro expresso, quod tacite subintelligitur, l. Fideicommissa 11. §. si filio, ff. de legatis 1. cum similibus. (Vid. verb. Pascha, n. 30. verb. Sepultura n. 210. cum leg. 2. r. 1. p. 5. ibi: Maguer:)

Suspensio à divinis inflicta pendente appellatione declarata fuit invalida à S. Congr. Conc. in Amalphanâ 19. Augusti 1724. apud Thes. resol. Sacr. Congr. Conc. tom. 3.

ARTICULUS VIII.

Suspensio quoad modos, quibus tollitur.

SUMMARIUM.

- 1. *Suspensio inflicta propter contumaciam cum hac lege tacita, vel expressa ut suspensus non possit prius absolvi, quam à contumacia, seu inobedientia recedat, tollitur per absolutionem.*
- 2. *Dicitur absolutio à tali suspensione Juris potest dari ab Episcopo, vel alio quasi episcopali Jurisdictione prædico, si non sit specialiter reservata Pontifici.*
- 3. *Suspensio imposita ad determinatum tempus, vel sub conditione, elapso tempore, vel conditione adimpleta, eo ipso cessat per se ipsam sine alia superioris declaratione.*
- 4. *Suspensio lata præcise ut poena alicujus patrati delicti, tollitur per dispensationem, que dispensatio dari solum potest ab Auctore canonis, aut ejus Successore, delegato, vel superiore; non autem ab inferiore.*
- 5. *Pro suspensionis absolutione nulla sunt præscripta determinata verba; unde sufficient quacumque verba apta ad illam exprimentam, quocumque idiomate proferantur.*
- 6. *Datur tamen forma adhiberi solita ex usu Ecclesiæ.*
- 7. *Prius autem quam detur hæc absolutio, exigendum est ab absolvendo, ultra promissionem de cetero non committendi tale crimen, juramentum de stando mandatis Ecclesiæ.*
- 8. *Et si crimen, propter quod incurra est suspensio, tangat tertiam personam, quod satisfaciat parti offensa.*

Suspensio inflicta propter contumaciam cum hac lege tacita, vel expressa, ut suspensus non possit prius ab-

absolvi, quam à contumacia, seu inobedientia recedat, tollitur per absolutionem. Quæ absolutio à tali Suspensione Juris potest dari ab Episcopo vel alio quasi episcopali Jurisdictione prædico, si non sit specialiter reservata Pontifici, arg. cap. Nuper, de sent. Excomm. & c. Ex literis, de constitut.

Suspensio imposita ad determinatum tempus, verbi gratia ad annum, vel sub conditione: Donec, restituat, elapso tempore, vel conditione adimpleta, eo ipso cessat per se ipsam sine alia Superioris declaratione. Sic Glossa recepta in Clement. 1. de Divinis verb. Donec, & in cap. Quia sæpe de election. in 6. verb. Donec.

Suspensio lata præcise ut poena alicujus patrati delicti tollitur per dispensationem, que dispensatio dari solum potest ab Auctore Canonis, aut ejus Successore, Delegato, vel Superiore, non autem ab inferiore, sive suspensio lata sit à Jure, sive lata ab homine, sive lata sit ad determinatum tempus, sive sine temporis limitatione; quia sicut legem Superioris, ita & annexam ei poenam inferiori solvere non potest. Glossa in cap. Cipientes §. Ceterum verb. Suspensus, de elect. in 6.

Pro Suspensionis absolutione nulla sunt præscripta determinata verba, unde sufficient quacumque verba apta ad illam exprimentam, quocumque idiomate proferantur. Ex usu tamen Ecclesiæ consuetudo hæc, vel similibus forma adhiberi solet: *Absolvo te à vinculo suspensionis, quod incurristi ob talem, vel talem causam; & restitui te pristinae executioni tuorum Ordinum, vel officiorum.*

Prius autem, quam detur hæc absolutio, exigendum est ab absolvendo, ultra promissionem de cetero non committendi tale crimen, juramentum de stando mandatis Ecclesiæ, ut habetur in cap. Super eo 1. c. Venerabilis 52. de sentent. excommunicati. Et si crimen, propter quod incurra est suspensio, tangat tertiam personam, quod satisfaciat parti offensa, ut habetur in cap. Porro, & in cap. Parochianus, de sentent. excommunic. (Cum hæc materia penes tota sit ecclesiastica, sufficit insinuatio, que verb. Censura animadvertitur, eo quod ibi in addit. novis leges referuntur de ipsamet materia agentes.)

SUSPICIO. Vide verb. Judicium temerarium à numer. 13. ad 14.

SUSURRATIO. Vide verb. Detractio art. 1. n. 10.

SYMBOLUM.

SUMMARIUM.

- 1. *Symbolum unde sit dictum.*
- 2. *Symbolum quid sit.*
- 3. *Symbola principaliora sunt quatuor, nempe Apostolicum, Nicanum, Constantinopolitanum, & Sancti Athanasii.*
- 4. *Symbolum Apostolicum est sic dictum, quia ab Apostolis fuit confectum singulis suum Articulum apponensibus.*
- 5. *Quo ordine quisque Apostolus suum apposuit Articulum.*
- 6. *Symbolum Nicanum quare sic dictum, & confectum.*
- 7. *Afferitur ipsum symbolum Nicanum.*
- 8. *Symbolum Constantinopolitanum quare sic dictum, & confectum.*
- 9. *Afferitur ipsum symbolum Constantinopolitanum.*
- 10. *Ipis symbolis fuit facta hæc additio Filioque, primum in Concilio Toletano, & deinde confirmata ab aliis.*
- 11. *Afferitur symbolum cum tali additione Filioque, prout traditur à Concilio Tridentino, & recitatur, seu canitur in missa.*
- 12. *Symbolum Apostolicum cepit recitari in missa à tempore ipsorum Apostolorum.*
- 13. *Et idem Apostolicum symbolum recitatum fuit in missa apud Romanos, seu in Ecclesia Romana plusquam mille annis, hoc est, æque ad tempora Bened. VII. dicti VIII.*
- 14. *In aliis autem Ecclesiis loco symboli Apostolorum jam antea in missa cooperat recitari, & cani symbolum Nicanum juxta decretum Sancti Marci Pape, & deinde symbolum Constantinopolitanum juxta decretum S. Damasi Pape I.*
- 15. *Consuetudo recitandi in missa symbolum prius Apostolicum, deinde Nicanum, & demum Constantinopolitanum, asseritur à plurimis.*
- 16. *Symbolum Sancti Athanasii ab ipso compositum fuisse traditur tempore, quo Romani à Julio Papa vocatus fuit, ut calumniis adversariorum responderet.*
- 17. *Symbolum Sancti Athanasii laudabiliter in choro recitatur stando.*
- 18. *Plures magni nominis Doctores negant tale symbolum esse genuinum factum Sancti Athanasii.*
- 19. *Symbolum in quibus festis, & missis sit dicendum, vel non, & cur, ac quomodo, ad n. 31.*
- 20. *Subnectuntur supplementa Auctoritatis ad n. 35.*

Symbolum dictum est à Sym, quod est simul, & Basilus, quod est mortellus, quia nempe Symbolum Apostolorum, quod est primum, & à quo cetera appellantur Symbola, confectum est ab omnibus simul Apostolis, singulis eorum aliquem morsellum, seu particulam quandam apponentibus. Sic Glossa in Rubr. tit. de summa Trinitate circa finem, & alia Glossa in cap. Canonis 1. verb. Apostolo distinct. 15. & Canonice passim. Non desunt tamen qui dicant, quod Symbolum græcè, sonat latine indicium. Et sic Symbolum Fidei sit quoddam indicium, sive signum, vel tessera, ut nota Christianorum quo veri fideles discernantur ab infidelibus, nempe Paganis, Judæis, & Hæreticis; sicut à simili tessera illa, quam milites assumere consueverunt ad discernendum socios ab hostibus, & exploratoribus, Symbolum militarie appellatur, ut docet Rufinus Presbyter Aquilejens. fol. 169. in symboli Apostolici Commentariis paulo post initium, ibi: *Symbola distincta unusquisque Dux suis militibus tradit, que latine signa, vel indicia nuncupantur, ut si forte occurrerit quis, de quo dubitetur, interrogatus symbolum produat, si sit hostis, vel Socius.* Card. Petra tom. 1. Commentar. in const. 2. Divi Leonis Magni n. 61. Card. Bellarm. prefat. ad explicat. Symboli Apostolici, Calepinus verb. Symbolum, & alii.

Symbolum in proposito est regula Fidei, brevis, ac perfecta confessio, breve predicationis indicium, brevis Credendorum collectio. Ita in re Communis. Unde Sanctus Augustinus in lib. 1. de Symbolo cap. 1. ait: *Est autem Catholica Fides in Symbolo nota fidelibus, memorieque mandata; quantum res parva est, brevitate sermonis, utque incipientibus atque latentibus, paucis verbis credendum constitueretur, quod multis verbis exponendum esset proficientibus, & ad divinam doctrinam, surgentibus exponendo esset perficiendum.*

Symbola principaliora, in quibus substantialiter omnia alia continentur, quatuor sunt; nempe Symbolum Apostolicum, Symbolum Nicanum, Symbolum Constantinopolitanum, & Symbolum S. Athanasii, cujus tamen an ipse S. Athanasius fuerit Auctor, multi dubitant, ut dicitur infra.

Symbolum Apostolicum sic dicitur, quia confectum fuit ab Apostolis, qui Magistri Orbis Terrarum à Christo constituti, antequam separarentur ab invicem ad prædicanda cunctis gentibus mysteria Fidei ab omnibus credenda Spiritu Sancto afflati singillatim conferendo suas sententias, illas in unam brevem summam duodecim articulorum collegerunt, ut sic quorum una eret Fides, unum Baptisma, una eademque esset Evangelicæ veritatis prædicatio per universum Orbem diffusæ, juxta illud Propheticum Psalm. 18. *In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum.*

In dicto igitur Symbolo singuli Apostoli posterunt suum articulum; & quamvis variant Doctores in assignando ordine, quo quisque Apostolus suum articulum posuit, inter omnes tamen verisimilior videtur ordo, quem tradit Doctor Subtilis in 4. dist. 25. q. unica §. Horum Articulorum: Sic S. Petrus posuit primum Articulum, scilicet: *Credo in Deum Patrem Omnipotentem Crea-*

Creatorum Caeli, & Terræ; Sanctus Joannes posuit secundum, scilicet: Et in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum. S. Jacobus Zebedæi posuit tertium, scilicet: Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine; Sanctus Andreas posuit quartum, scilicet: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus. Sanctus Philippus posuit quintum, scilicet: Descendit ad Inferos. S. Thomas posuit sextum, scilicet: Tertia die resurrexit a mortuis. Sanctus Bartholomæus posuit septimum, scilicet: Ascendit ad Cælos, sedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis. S. Mattheus posuit octavum, scilicet: Inde venturus est judicare vivos, & mortuos. S. Jacobus Alphaei posuit nonum, scilicet: Credo in Spiritum Sanctum. S. Simon Zelotes posuit decimum, scilicet: Sanctam Ecclesiam Catholicam, & Sanctorum Communionem. S. Judas Jacobi posuit undecimum, scilicet: Remissionem peccatorum. S. Mathias posuit duodecimum, scilicet: Carnis resurrectionem, & vitam æternam: Et hic Scoti ordo fundatur in Sacra Scriptura, nam Actorum cap. 1. n. 13. hoc eodem ordine referunt Apostoli post Christi in Cælos Ascensionem, ibi: Es cum introissent in Canaanem, ascenderunt, ubi manebant Petrus, & Joannes, Jacobus, & Andreas, Philippus, & Thomas, Bartholomæus, & Mattheus, Jacobus Alphaei, & Simon Zelotes, & Judas Jacobi. Et exinde cecidit sermo super Matthiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis, ibi n. 26. Unde verosimilis est, quod singuli Apostoli posuerint suos articulos in Symbolo ab ipsis confecto juxta ordinem post Christi Ascensionem inter se observatum, & S. Luca hic Actorum cap. 1. num. 13. relatum. (Vid. lit. A. pag. 148. præsertim col. 2. ex n. 12. ad 15. exclusive.)

Symbolum Nicæni Concilii.

7 "Credimus in unum Deum, Patrem Omnipotentem, omnium visibilium, & invisibilium factorem. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei ex Patre natum, unigenitum, id est, ex substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, & quæ in cælo, & quæ in terra. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus, passus est, & resurrexit tertia die, & ascendit in cælos; & iterum venturus est judicare vivos, & mortuos. Et in Spiritum Sanctum. Eos autem, qui dicunt: Erat aliquando, quando non erat, & antequam nasceretur, non erat; & quia ex iis, quæ non sunt, factus est, aut ex alia substantia, vel essentia dicunt esse, vel creatum, vel mutabilem, vel convertibilem Filium Dei; anathematizat Catholica, & Apostolica Ecclesia."

8 Symbolum Constantinopolitanum sic dicitur, quia confectum fuit anno 381. sub Damaso Papa à centum quinquaginta Patribus in primo Concilio Constantinopolitano, & dicto Symbolo Nicæno ad uberiorem adhuc, & clariorem Fidei explanationem, & novarum Hæresium confutationem, quædam per primum Generale Concilium Constantinopolitanum denuo apposita fuerunt, prout clare patet intuenti tum supra allatum Symbolum Nicænum, tum sequens Symbolum Constantinopolitanum, quod ad hunc finem hic etiam ad literam datur, prout refertur ab eodem Bail l. c. prima parte Concilii Constantinopolitani primi p. 197.

Symbolum Concilii Constantinopolitani: "Credimus in unum Deum, Patrem Omnipotentem, Factorem Cæli, & Terræ, visibilium omnium, & invisibilium Conditorum. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, id est, ex Patre natum ante omnia secula, Deum verum ex Deo vero, natum, non factum, hominon Patri, hoc est, ejusdem cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt, quæ in Cælo, & in Terra. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cælis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est, & resurrexit tertia die secundum scripturas, ascendit in Cælum, sedet ad dex-

Symbolum Concilii Constantinopolitani.

"Credimus in unum Deum, Patrem Omnipotentem, Factorem Cæli, & Terræ, visibilium omnium, & invisibilium Conditorum. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, id est, ex Patre natum ante omnia secula, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum, non factum, hominon Patri, hoc est, ejusdem cum Patre substantiæ, per quem omnia facta sunt, quæ in Cælo, & in Terra. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cælis, & incarnatus de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est; Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus, ac sepultus, tertia die resurrexit secundum scripturas; ascendit in Cælos; sedet ad dexteram Patris; inde venturus est cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus regni non erit finis. Credimus in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre, & Filio adorandum, & conglorificandum, qui locutus est per Prophetas; & unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expectamus resurrectionem mortuorum, & vitam futuri seculi. Amen."

Quibus Symbolis ad confutandum errorem Græcorum negantium Processionem Spiritus Sancti à Patre, & Filio, facta fuit additio Filioque primum in Concilio Toletano 1. anno 405. celebrato sub Innocentio Papa I. ubi dictum Concilium in Symbolo (ut refertur in Tomo primo Conciliorum) sic profertur: *Credimus Spiritum quoque esse Paraclitum, qui nec Pater sit ipse, nec Filius, sed à Patre, Filioque procedens. Est ergo ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Paraclitus, sed à Patre, Filioque procedens.* Idemque statutum fuit in Concilio Ephesino 1. celebrato contra Nestorium anno 431. sub Cælestino Papa, & relato in cap. De Spiritu 38. dist. 5. de consecratione, ibi: *Nam Spiritus appellatus est veritatis, & veritatis Christus est, unde & ab isto similiter sicut ex Patre procedit. Et id ipsum præter alia etiam in Concilio Generali Lateranensi sub Innocentio III. an. 1215. celebrato fuit definitum, ac refertur in cap. Firmiter 1. §. 1. de Summa Trinitate, & Fide Catholica, ibi: Ac Spiritus Sanctus pariter ab utroque... Procedens & C. Damianus 2. §. Nos autem, eodem titulo, ibi: Et sic eadem res est Pater, & Filius, necnon & Spiritus Sanctus ab utroque procedens. Et idem iterumque definitum fuit in Concilio Florentino sub Eugenio IV. celebrato an. 1438. & 1439. Et his verbis in decreto Unionis expressis: *Definitum insuper explanationem verborum illorum Filioque veritatis declaranda gratis, & imminente tunc necessitate, licite, ac rationabiliter symbolo fuisse appositam.* Et idem denique definitum confirmatumque fuit in Concilio Tridentino sub Paulo III. Julio III. ac Pio IV. contra Lutheri, ac aliorum Hæreticorum errores, nec non pro pace inter Princeps, ac reformationem Ecclesie inchoato anno 1545. ac cum aliquandiu fuisset interruptum, finito tandem anno 1563. In cujus sessione 3. in decreto de Symbolo Fidei sic expressa habetur: "Symbolum Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur tamquam principium illud, in quo omnes, qui Fidem Christi profitentur, necessario conveniunt, ac fundamentum firmum, & unicum, contra quod porte Inferi nunquam prævalerunt, totidem verbis, quibus in omnibus Ecclesiis legitur exprimentum esse censuit, quod quidem ejusmodi est."*

"Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem, factorem Cæli, & terræ, visibilium omnium, & invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum; Ex Patre natum ante omnia secula, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cælis, et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est, & resurrexit tertia die secundum scripturas, ascendit in Cælum, sedet ad dex-

teram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expectamus resurrectionem mortuorum, & vitam futuri seculi. Amen."

teram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi seculi. Amen."

12 Symbolum Apostolicum cepit recitari in missa tempore ipsorum Apostolorum, ut tradunt Dionysius Areopagita de Ritibus Eccles. Hierarch. c. 3. n. 14. Durand. de Ritibus Eccles. lib. 2. cap. 24. Barbosa ad Concilium Trid. sess. 3. n. 3. & alii. Et Apostolicum Symbolum recitatum fuit in missa apud Romanos, seu in Ecclesia Romana plusquam mille annis, hoc est, usque ad tempora Benedicti VII. dicti VIII. qui metu divisionis, aut schismatis, & precibus Sancti Imperatoris Henrici II. jussit ad majorem Ecclesiarum conformitatem, ut Romana Ecclesia in missa, omissa Apostolorum Symbolo, caneret Symbolum, quod Ecclesie Hispaniarum, & Gallie canebant, id est, Symbolum Constantinopolitanum cum illa additione Filioque in supradicto Concilio Toletano contra errorem Græcorum facta. Sic Berno de rebus ad miram pertinentibus cap. 2. Baronius ad ann. 447. n. 19. Severus Binius in notis ad Concil. I. Constantinopolit. Barbosa l. c. n. 3. Lupus tom. 2. Scho. ad Synod. Nicæm. c. 4. fol. 13. n. 14. Ciacion. in vita Pontif. r. 1. fol. 769. & alii notantes, quod Ecclesia Romana in missa per totum illud tempus retinuit, ac recitavit Symbolum Apostolorum, quia nunquam à Fide Apostolica aberraverat, & deinde ob supradictum motum Symbolum Constantinopolitanum recitare incipit.

14 In aliis autem Ecclesiis loco Symboli Apostolorum jam antea in missa cœperat recitari, & cani Symbolum Nicænum juxta decretum Sancti Marci Papæ, ut refertur Platina in vita ejusdem Pontificis, Ciacionus in vita Pontific. t. 1. fol. 229. & alii id extendentes etiam ad Ecclesiam Romanam; & deinde Symbolum Constantinopolitanum ex decreto Sancti Damasi Papæ I. & mandato ejusdem Concilii Constantinopolitani, ut notat Glossa Marginalis in cap. Canones 1. dist. 15. Archidiaconus ibid. num. 3. Pinell. lib. 2. Missa cap. 19. & alii id pariter extendentes ad Ecclesiam Romanam, quamvis tamen probabilis ex dictis supra n. 13. ipsa Ecclesia Romana retineverit, & recitaverit in missa Symbolum Apostolorum usque ad tempus Benedicti VII. dicti VIII.

15 Consuetudo autem recitandi in missa Symbolum primum Apostolorum, deinde Nicænum, & demum Constantinopolitanum asseritur à Durand. sic Ritus Eccles. lib. 2. cap. 24. n. 14. Anton. Passerin. in Apparatu Sacro verb. Symbolum, Card. Petra tom. 1. Comment. ad Const. 2. Leonis Magni n. 13. & ab aliis plurimis.

16 Symbolum Sancti Athanasii, quod incipit *Quicumque vult salvus esse*, ab ipso compositum fuisse traditur tempore, quo Romam à Julio Papa vocatus fuit, ut judicaretur; cum enim ibi Eusebianorum adventum persequantur expectaret, hoc Fidei Symbolum scripsit, ac tamquam Catholice Fidei suæ professionem publice edidit: quod deinde una cum actis Nicæne Synodi, cui ipse Athanasius præsens interfuit, in Archivio Romano diu asservatum fuit; donec tandem post multos annos Ecclesie recitandum tradi mererit; Baronius ad annum Christi 340. & ad notas in Conc. Romano II. tom. 1. p. 1. Conciliorum, Fagnanus in cap. Firmiter 1. num. 33. de Summa Trinitate, & Fide Catholica, Reiffenst. lib. 1. Decret. tit. 4. num. 77. Ciacion. in Vita Pontif. 233. lit. A. Card. Petra l. c. n. 16. & alii. Et quod tale Symbolum fuerit compositum ab ipso Sancto Athanasio, testantur ultra supradictos Bellarminus lib. de Scripioribus Ecclesiasticis §. de Sancto Athanasio circa finem, Hincmarus Rheimensis, qui anno Christi 848. floruit, ita de ipso statuit: "Sermonem Athanasii de Fide, cujus initium est: *Quicumque vult salvus esse* &c. memorie quisque commendat, & sensum illi intelligat." Aiton Episcopus Basiliensis tempore Ludovici Pii in suo Capitulari

cap. 4. sic decernit: "Quarto ut Fides Sancti Athanasii à sacerdotibus discatur, & ex corde die Dominico ad horam Primam recitetur;" Concilium Augustodunense editum anno Christi 670. ita sancivit: "Si quis Presbyter, vel Diaconus, vel Clericus symbolum, quod inspirante Sancto Spiritu Apostoli tradiderunt, & Fidem Sancti Athanasii Præsulis irreprehensibiliter non recensuerit, ab Episcopo condempnatur." Et ipsa Catholica Ecclesia testimonium perhibet, prædictum Symbolum sub nomine Sancti Athanasii in Divino Officio recitandum proponens, & mandans. Et Sacra Congregatio Rituum ipsam Symbolum Sancti Athanasii appellat, dum expressis his verbis de ipso sic censet: *Symbolum S. Athanasii, quod dicitur ad Primam, laudabiliter in Choro recitatur stando.* Dicta S. C. Rituum 23. Decemb. 1624. apud La Croix l. 6. p. 2. n. 255. decret. 168. Nihilominus Cabassutus Not. Ecclesiastic. secul. 2. 18. distert. 19. pluribus probat, Sanctum Athanasium non esse illius Symboli Auctorem; Et Graveson tom. 1. Histor. Ecclesiastic. collig. 4. p. 367. & 368. primæ Impressionis Rom. hoc Symbolum inter opera dabit S. Athanasii reponit, plurimasque rationes adducit variorum Auctorum, qui hoc Symbolum Sancto Athanasio adjudicant, dicitque quod aliqui illud tribuunt Eusebio Vercellensi, alii Vincentio Lirinensi, nonnulli Athanasio Sinaite, alii Anonymo Theologo Gallo, qui Pignit, vel Caroli Magni temporibus floruit. Et alii denique longe plures hoc Symbolum tribuunt Vigilio Tapsensi in Africa Episcopo, acrimo sub finem quinti seculi Fidei Catholice defensori, qui multa opera scripsit, & non solum, sed sub antiquorum Patrum, præsertim sub nomine Sancti Athanasii evulgavit; Unde dicit ipse Graveson, quod difficile creditur non est hoc Symbolum fuisse editum à Vigilio Tapsensi sub nomine Sancti Athanasii, & postea tom. 3. collect. 4. fol. 157. sic expresse habet: *Sed nunc contenti inter omnes viros eruditos, hoc Symbolum S. Athanasii nomine inscriptum non esse genuinum illius fœrum.* Symbolum in Missa dicendum est diebus præscriptis in Rubricis Missalis c. XI. de Symbolis. Unde S. R. C. in Curien. die 19. Junii 1700. expresse statuit, ut sequitur: "In Festis Sanctorum Martyrum, Confessorum, & Virginitum, quæ celebrantur sub Ritibus duplici majori, non est dicendum Symbolum in Missa, sed serventur Rubricæ generales Missalis Romani capite XI. de Symbolo?"

Item in Festo translationis Patroni Principalis Cathedralis sub Ritibus duplici majori, non potest in Missa dici Symbolum; nec in ipsa Ecclesia Cathedrali, neque per totam Diocesim. Ead. S. R. C. in d. Curien. 19. Junii 1700.

17 Quamvis cit. Rubrica Missalis cap. XI. de Symbolo, ubi declarat in Festo Patroni altitudis loci, vel Tituli Ecclesie dicendum esse *Credo* excipiat Festum Tituli alicujus Capellæ, vel Altaris; talis tamen Rubrica exceptio intelligenda est de Missis privatis, non vero de Missa solemnibus, ut recte explicat eruditissimus P. Merati ib. num. 12. afferens ad id sequens Decretum: "Symbolum in Missa solemnibus potest decantari in illa Ecclesia, ubi est altare erectum sub invocatione alicujus Sancti ratione concursus ad præscriptum Rubricar. licet de eo fiat Officium sub Ritibus semiduplici;" ut pro Festo Sancti Antonii de Padua declaravit Sac. Rituum Congregatio 11. Aprilis 1691. in una Burgi Sancti Domini. Festum enim Sancti Antonii tunc erat semiduplex, cum elevatum sit ad Ritum duplicem per Ecclesiam universalem à Clemente X. anno 1670. 18. Junii.

Nomine Festorum principalium Ordinum, in quorum Missis à supradicta Rubrica de Symbolo conceditur *Credo*, venire solent festi, quæ sub Ritibus primæ classis celebrantur, nempe Fundationis Ordinis, seu principalis Tituli, aut Patroni. An autem sub eodem nomine principalium Festorum Ordinum comprehendantur etiam insigniores Sancti cujusque respectivo Ordinis, controvertitur inter Doctores; Guyetus enim, & Bissus apud Merati l. c. num. 13. censent servandum esse in hoc casu legitimum cujuslibet Ordinis usum, saltem quoad festi duplicia secundæ classis, hoc comprobante praxi fere omnium Ordinum Regularium, qui in festis suorum Sancto-

torum secundæ classis Symbolum recitant; Ipse autem Merati loc. cit. videtur sentire. contrarium etiam si talia festa secundæ classis celebrantur cum octava, id probans exemplo Sancti Laurentii, quod licet celebraretur sub Ritu secundæ classis, & cum octava ab ecclesia universalis, nihilominus quia Sanctus Martyribus non convenit Credo, idcirco in tali festo non dicitur Credo, nisi in Ecclesia ejusdem Titularis, ut patet ex communi praxi, & Decreto Sacre Rituum Congregationis, in Peruvina 23. Martii 1709. ibi: In die Sancti Laurentii Titularis alicujus Ecclesia Cathedralis, vel Matricis nullius diocesis, non est recitandum Symbolum Apostolorum in aliis Ecclesiis ejusdem Loci, sed tantum in Ecclesia propria; adeoque à fortiori, concludit ipse, concedi non debet Credo in festis Sanctorum Confessorum alicujus Ordinis particularis, quamvis ab eodem celebrantur sub Ritu secundæ classis, & cum octava; At vero donec aliter à Sede Apostolica, seu Sacra Congregatione definitur, non videtur recedendum à priori Guyeti, & Bissi, aliorumque opinione fundata in communi praxi, & consuetudine omnium fere Ordinum Regularium; cum consuetudo sit optima Legum interpres, cap. Cum dilectus 8. de consuetud. leg. Si de interpretatione 37. ff. de Legibus. Immo consuetudo inveterata, & legitime præscripta pro lege est observanda, L. De quibus 137. ff. de Legibus, cap. Cum tanto 11. de consuet. c. Non est 3. eod. in 6. cum similibus. (Verb. Consuetudo, & verb. Lex.)

23. Patemur tamen, quod præcisè dicta communi praxi, & consuetudine, in festis Sanctorum Martyrum, Confessorum, & Virginum, seu Viduarum, aliarumque non Virginum, non debet dici Credo juxta illud vulgare dictum *Mec non credit*, per cujus primam litteram M. indicatur non debere dici Credo in festis Sanctorum Martyrum, per secundam V. non debere dici in festis Sanctorum Virginum, & Viduarum, & per tertiam C. non debere dici in festis Sanctorum Confessorum, nisi sint Doctores Ecclesie, & nisi prædicti omnes Sancti, & Sanctæ sint Fundatores Ordinis, Patroni aut Titulares Ecclesie, seu in ipsa Ecclesia habeatur eorum Insignis reliquia, aut nisi talia Festa venerint in Dominicis, & infra octavas festorum Symbolum habentium, ut recte ex aliis notat Merati loc. cit. num. 8. in fine. Et ratio est, quia, ut docet Alexander Aensis a. 10. de Sacram. Eucharistia §. 9. Quarti part. 1. tit. XI. de Symbolo verè. Ex quibus: & alii, de ipsis nulla fit mentio in Symbolo, neque in ipsis locum habent motiva, quæ de aliis in dicta Rubrica de Symbolo exceptis occurrunt.

24. Prima enim ratio, seu motivum, cur dicatur Credo in variis ex ibi assignatis festivitatibus, est, quia de ipsis fit aliqua mentio in dicto Symbolo, ut tradunt Innocentius III. de mysteriis missæ lib. 5. cap. 51. Sanctus Thomas 3. parti. quest. 83. art. 4. Durand. lib. 4. c. 25. Quarti l. c. verè. Prima ratio: Gavanti, & Merati loc. cit. Rubrica de Symbolo, & alii passim. Et ob id dicitur in omnibus Dominicis, quia dies Domini dedicati sunt in memoriam Resurrectionis Christi, & cultum Sanctissimæ Trinitatis, de quibus mysteriis fit mentio in Symbolo, quæ ratio militat de omnibus festivitatibus Domini, de quo principaliter fit mentio in ipso Symbolo; sicut fit de Beata Virgine Maria, ac etiam de Angelis indicatis per ly Invisibilium.

25. Secunda ratio, seu motivum, cur dicatur Credo in aliquibus aliis ibi enumeratis, est, ut docet S. Thomas loc. cit. Durandus loc. cit. Quarti l. c. verè. Secunda ratio: & ipso teste alii communiter, quia ipsi Sancti vel primo symbolum composuerunt, vel egregie fidem in eo contentam propagarunt prædicatione, & doctrina; & ideo dicitur in festis Apostolorum, & Evangelistarum; item in festo S. Marje Magdalene, quæ ex Innocent. III. loc. cit. fuit Apostolorum Apostola; item in solemnitatibus creationis, & consecrationis Summi Pontificis, & consecrationis Episcoporum, quia ipsi sunt Successores Apostolorum; & in festis insigniorum Doctorum, quia singulari sua prædicatione, & doctrina plurimum fidem in symbolo contentam propagarunt.

26. Tertia ratio, seu motivum tandem, cur dicatur in reliquis aliis, est, ut voluit Alexander Aensis loc. cit.

Quarti loc. cit. verè. Tertia ratio, Gutierrez lib. 3. c. 28. quart. 3. Merati loc. cit. num. 4. & alii, quia tales Sancti ob excellentiam auctoritatis, seu ratione solemnitatis, vel ob jus speciale in aliquam Ecclesiam, aut locum hoc honore dignantur, ut earum missæ votivæ solemniter pro re gravi, aut pro publica Ecclesie causa celebrantur; & ob id dicitur Credo in festo Patroni, & Titularis Ecclesie, dedicationis, seu consecrationis ejusdem, ac in festis Fundatorum Ordinum, ac in Festis illorum, de quibus in ecclesia habentur Insignes reliquie.

27. In festo Sancti Joannis Baptistæ, quamvis sit prima classis, & cum octava, non dicitur Credo, quia Sanctus Joannes Baptista figurat legem veterem, & consummavit cursum ante promulgationem Evangelii, & Institutionem Symboli, ut tradit Quartus loc. cit. verè. Opponi posset: & in simili Durandus l. 7. cap. 34. num. 8. & alii. Quæ ratio militat etiam pro festo Sancti Joseph, & alii. Similibus. In festo autem Sancti Laurentii Martyris, quamvis sit secundæ classis, & cum octava, non dicitur Credo, quia in ipso non habent locum supra assignatæ rationes, & motiva dicendi symbolum, nec adest ad id praxis, ac legitima consuetudo, cum potius universalis Ecclesia in festo illud omittat, sicut illud omittet in festis Sancti Stephani, & Sanctorum Innocentii, si caderent extra octavam Nativitatis Domini, sicut de facto omittitur in die octavæ Innocentium currentis extra dictam octavam.

In missa Patroni minus principalis non debet dici Credo; S. R. C. in Benevent. 2. Decemb. 1684. & in Lycien. 15. Septemb. 1691.

Sola ratione SS. Sacramenti expositi, non est dicendum symbolum in missis privatis. S. R. C. in una Canonico. Regul. Lateran. 2. Decemb. 1684. Et idem statuitur in Instructione Clem. XI. & XII. pro expositione SS. Sacramenti. occasione 40. Horarum §. 10.

Dum in missa solemniter canitur Credo, non debent pulsari organa, Conc. Provincial. Mediolanensis. III. apud Gavanti. in Manual. Episcoporum. verb. Missa Conventualis sub n. 22. ibi: Symbolum totum canatur à Choro, non alternatim cum organo. Sic etiam Cæremonial. Episcoporum. l. 1. cap. 28. ac Cæremonial. Ordinis Minor. part. 4. cap. 9. quod tamen ibid. num. 7. subjungit, quod si numerus Cantorum, seu Fratrum sit modicus, poterit alternatim cantari à choro, & organo. Sed organo sonante, duo Cantores legant alta, & intelligibili voce quæ à choro non cantantur, ut sequitur, ac docet etiam Simon Buongiovanni in Sacram. Cæremoniarum. Silva loc. cit. cap. 10. verè. Quod si: In hoc enim casu subintrat necessitas, quæ facit licitum, quod aliis est illicitum, c. Quod non est licitum 4. de Reg. Jur. c. Omnes 1. de Fer. c. Consulisti 3. de celebrat. Missarum. cum non subiaceat legi necessitas, c. Consilium 2. de observ. jejun. cap. Sicut 11. de consecration. dist. 1. cum multis similibus. Celebrans autem, dum canitur Credo, non potest prosequi missam. S. R. C. in Beneventana 13. Septemb. 1670. & in Januen. 17. Decemb. 1695.

Alia ad rem. Vide verb. Missa art. 12. & 13.

Symbolum in qualibet missa, etiam pro defunctis recitatur à Græcis, eumque morem servari à Monachis Ordinis Sancti Basilii jubet Benedictus XIV. constitutione incip. Quem Religiosis sensum §. 6. Symboli recitatio in missa à Græca ad latinam Ecclesiam tradita est. Idem constituit. incip. Allate sunt §. 28. Symbolum idem sine additamento Filioque à Græcis, & Orientalibus quandoque recitari permisit Apostolica Sedes, quandoque vero hanc facultatem denegavit, prout diversè facti circumstantie exegerunt. Idem ib. §. 30. Symbolo autem Nicæno non solum licuit, sed & deuscut superaddere particulam Filioque. Hinc non modo Patres Concilii Zamoscia tit. 1. de Fide Catholica, sed etiam Patres Concilii Libanensis part. 1. eod. tit. n. 11. provide, ac recte statuerunt, ut Sacerdotes omnes eorum legitimi subjecti, Symbolum juxta consuetudinem Romanæ Ecclesie, cum particula Filioque usurpent. Idem ibid. §. 30.

SYNDICUS.

SUMMARIUM.

1. *Syndicus* græce idem est, ac latine Defensor.

2. *Syndicus* proprie acceptus quid sit.

3. *Syndicus*, quamvis generaliter acceptus conveniat cum Procuratore generaliter accepto: Tamen proprie & stricte acceptus distinguitur à Procuratore proprie dicto, & accepto, & quare.

4. *Syndicus* proprie captus distinguitur etiam ab Administratore, seu Oeconomo, & quare.

5. *Syndicus* proprie captus distinguitur etiam ab Administratore, seu Oeconomo, & quare.

6. *Syndicus* quomodo sit constituendus.

7. *Consultus* est, ut Religiosi pro causis sui monasterii non sint ipsi *syndici*, sed potius aliquem extraneum Procuratorem generaliter, seu *syndicum* constituant.

8. *Attamen* exigente utilitate sui monasterii possunt Religiosi ipsi esse *syndici*.

9. In Ordine Minorum ex concessione plurimorum Pontificum pro unoquoque conventu constituitur unus *Syndicus* Apostolicus.

10. Sed prius concesserat Nicolaus III. & Clemens V. & quomodo.

11. Deinde ad facilitas, & commodius esse, specialem pro unoquoque conventu concesserat Martinus IV. & V. ac Paulus IV.

12. Hæc secunda concessio non est contraria primæ, & hi speciales *syndici* pariter cum substitutis dantur, seu donantur.

13. Horum *syndicorum* usus nullatenus repugnat observantia puritatis Regula, nec est dispensatio in ipsa.

14. Modus utendi *syndico* ad præscriptum Martinianæ, & Paulinæ, est facilitas, & tutor pro unoquoque conventu: Immo non habens hujusmodi *syndicum* ponitur in periculo transgrediendi Regulam.

15. *Syndici* Apostolici deputantur pro toto Ordine à Generali; pro Provinciis, & Custodiis, ac Conventibus à sibi subjectis à Provincialibus, & respective Custodibus; Vel etiam à Guardianis de expressa Procuratorum licentia.

16. Etiam Procurator, & Commissarius Generalis Curia Romane possunt *syndicos* pro ipsorum respective Officio deputare.

17. Non possunt à dictis Superioribus deputari plures *syndici*, sed unus dumtaxat pro unoquoque conventu.

18. Unus *syndicus* potest deputari etiam pro Hospicio habente suum præsidem, & unus à Superiore Generali pro Religione, & à Provinciali pro Provincia. Quod idem currit pro infirmariis relicti distincto regimine ab illo conventu.

19. Non possunt autem dicti Superiores deputare alios *syndicos* pro Religiosis particularibus.

20. Immo Fratres privati nec de licentia Superiorum possunt habere opud *syndicum* Conventus pecunias à massa communi separatas.

21. Nec Frater particularis sine vera necessitate, & licentia Superioris, potest uti pecunia sponte deposita pro ipsius indigentibus ab Amico spirituali apud *syndicum* tanquam suum substitutum, & retento sibi dominio.

22. Posita tamen vera necessitate, & negligentia Superioris in ministrando necessaria, potest Frater substitutus nedom in tale depositum sponte oblatum consentire, sed suis indigentibus providere, etiam per recursum ad Amicos spirituales, dummodo servet moderationem per declarationes Pontificias prefinitas.

23. Quoniam autem sint dicta Pontificia modificationes observanda, & pro quibus necessarius possit à Fratribus pro pecunia haberi recursus ad Amicos spirituales, remittitur.

24. Bona *Syndici* sunt racione hypotecata pro securitate elemosynarum, & ex ejus bonis debet dampnum à se cautum reparari.

25. Habet ad id novus *Syndicus* actionem contra *Ex-syndicum*, & ejus hæredes.

26. Coram quo *Judice* possit, & debeat ad id conveniri.

27. *Syndicus* Apostolicus debet admitti in concursu creditorum adversus *Ex-syndicum* decedum, vel ejus hæredes, & adversus alios veros debitores.

28. Possunt Conventus præter *Syndicum* habere etiam Substitutum, & etiam plures, prout opus fuerit. Substitui autem, seu substitutorum deputatio fieri debet à *Syndico*, & non à Fratribus, ad num. 29.

30. Non possunt Fratres à *syndico* computus juridicos exigere.

31. Possunt tamen Generales, & Provinciales, quoties eis opportunum videbitur, dictos *Syndicos* remove-re, aliorque subrogare, seu constituere.

32. Sine dicto Procuratore, vel Substituto nihil emi, aut vendi potest: Nec Guardianus elemosynas pecuniarias tenere potest, nisi in manu *Syndici*, vel Substitui, ejus licentia.

33. *Syndici* Apostolici, seu Procuratores Fratrum Minorum amplissimam habent facultatem, quæ assignatur.

34. Non possunt tamen alienare mobilia pretiosa Ecclesie incorporata sine Beneficio Apostolico; Nec alias res vendere sine prævia affixione Edictorum, ut venditio fiat majori oblati.

35. *Syndici* Apostolici gaudent privilegio fori in causis civilibus, criminalibus, & mixtis, motis, & movendis. Et offertur ad id constituto Clementis VII.

36. Affertur etiam constituto Innocentii XI. quæ confirmatur in forma specifica decreta variorum Sacrarum Congregationum emanata super exemptione præfatorum *syndicorum*.

37. *Syndici* Apostolici non possunt compelli ad exco-cenda munia publica Communitatis, nec conveniri, nisi coram *Judice* Conservatore.

38. Tales *syndici* gaudent privilegio fori sunt exempti à repressaliis.

39. Subiectuntur hic varia decreta Sacre Congregationis Imman. ad rem facientia, usque ad num. 60.

61. Unus tantummodo *syndicus* pro unoquoque conventu gaudet prædictis Apostolicis privilegiis.

62. *Syndici* Apostolici in præsentibus tenentur ad onera communicativa.

63. Ecclesiastici assumpti in *syndicos* Apostolicos non sunt exempti à jurisdictione Ordinarii.

64. *Syndici* Apostolici non comprehenduntur in decreto, quod Seculares non pernoctent in Conventibus Fratrum Minorum.

65. Solum *syndico* Apostolico, & non Fratribus Minoribus de Observantia, seu Reformatis, licet exigere in judicio Legata.

66. *Syndicus* Apostolicus nequit habere dominium, & possessionem Censuum relicti dictis Fratribus. Nec dicti Fratres nomine *syndici* possunt retinere bona stabilia, census, aliorque annuos redditus.

67. *Syndicus* *Synalicus* in concensibus correctionem non, non est exemptus à jurisdictione Ordinarii.

Syndicus græce idem est ac latine Defensor. Sic notant communiter Doctores in cap. Sicut studii unio. de *Syndico*. Unde *Syndicus* proprie acceptus est ille, qui constituitur ab aliqua Universitate, seu Collegio, vel Capitulo ad negotia illius pertinetanda, ac potissimum ad causas, & lites illius in judicio persequendas. Sic in re Communis, per text. & Gloss. in cit. cap. Sicut studii, verb. Generaliter, & leg. Neque societas 1. §. 1. ff. Quod cujuscunque Universitatis nomine, vel universam agatur.

Syndicus, quamvis generaliter acceptus conveniat cum Procuratore generaliter accepto, cum nomine Procuratoris generaliter acceptum etiam *Syndicum* sub se complectatur, argum. cap. Salvator 8. verè. In nomine caus. 1. quart. 3. cap. Quia in causis 7. & cap. Petitio 9. de Procuratoribus, tamen proprie, & stricte acceptus distinguitur à Procuratore proprie dicto, quia hic constituitur à quocunque privato domino, & in causis pri-